



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||

Francisco <de Javier>

Mogvntiæ, 1600

VD16 J 197

Societati Geam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43721

Gratia & caritas Christi, D. N. &c.

AD IV. Idus Ianuar. Anni M. D. XLVI.
Amboinus. Malaca soluimus Malucum versus. Ad
 Amboinum appulimus. XVI. Kal. Febr. Hæc
 insula est in circuitu millia passuū ferme XC.
 Incolis adueniſq; sane frequens. In ea oppi-
 da, pagiſq; Christianorum sunt numero sex,
 quos, vt primum veni, lustraui omnes ex or-
 dine; infantes ac pueros baptizauī quamplu-
 rimos. Secundum hæc Ferdinandi Sose clas-
 sis ad Amboinū applicuit, qua classe Hispani
 ex noua Hispania in Malucū profecti vehe-
 bantur. Ac pro multitudine nauium tantus
 occupationū spiritualium quasi concursus
 fuit, cum & confessiones audire, & habere
 cōciones, & subuenire ægrotis & moribun-
 dis adesse oporteret, vt per temp⁹ satisfacere
 omnibus neutiquam possem. Odoratus sum
 sensus, ac voluntates incolarum: magnamq;
 in spem venio, vt primum insulæ Dominus
 (is est vir primarius Lusitanus Christianæ re-
 ligionis studiosissimus, qui nunc regij præsi-
 dij Dux est in Moluco) spero inquam, vbi is
 reuerterit, fore vt his locis colligamus ani-
 morum vberimos fructus. Ora est ab Am-
 boino millia passuum circiter CCCC. quæ
 Mauri regio dicitur, vbi Christiani permul-
 ti sunt Christianæ disciplinæ ac religionis
 pror-

prorsus ignari. Eo proficiscor, vt tot animorum saluti consulam, quippe cum mihi sic persuaserim, debere me, vel cum capitis mei discrimine illorum animos ab interitu vindicare. Itaq; vel perspicua mortis pericula subire certum est: spem enim omnem in diuina prouidentia sitam habeo, & cupo obtemperare illi Euangelicæ voci. *Qui uoluerit animam suam saluam facere, perdet eam, qui autem perdidit propter me, inueniet eam.* Ac mihi credite fratres carissimi, & si huius sententiæ verba generatim facilia sint ad intelligendum; tamen ubi tempus incidit, cum statuere oportet, tibi pro Deo vitam amittendam esse, & mortis discrimen ad eundem usq; eadem sententia, etsi clarissima sit, obscura fieri solet, vt is modo eam intelligat, cui pro sua benignitate declararit DEVS. Enim uero istiusmodi temporibus apparet, quam imbecilla infirmaq; sit humana natura. Dominus nos pro sua immensa misericordia, talibus in rebus ac temporibus, ita sua vi confirmet ac roboret, vt fortiter, & subeamus omnia, & perferamus. Idemque maneat nobiscum semper. Amen. V. Id. Maias.

Anni. M. D. XLVI. Ex
Amboino.

FINIS LIBRI PRIMI.

FRAN-

Animi magnitudo in subeundis periculis.